

1727

Q. D. T. O. M. F. F. Q. E. I.

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O MEDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**SOLVENDO BONO  
CORPORIS HABITV**  
SECUNDVM  
A. C. CELSVM MED. LIB. II. CAP. II.

QVAM  
GRATIOSISSIMI ORDINIS MEDICI CONSENSV  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
PRAE<sup>S</sup>IDE  
**DN. CHRISTIANO MICHAELE  
ADOLPHI**  
PHILOSOPH. ET MED. DOCTORE  
GRAT. FACULTATIS MEDICAE LIPS. ITEMQ VE  
COLLEGII B. M. V. SENIORE S. R. I. ACADEMIAE NAT.  
CVRIOS. COLLEGA ET MEDICINAE PRACTICO  
DIE XII. MAII M DCC XLI.  
PRO GRADV DOCTORIS  
PVBLICAE CENSVRAE COMMITTET  
**PETRVS PHILIPPVS KEIL**  
VONSID. FRANC.  
MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

athol. gen.

5265,4

207  
Thesauri

PLATOVANA AQUITANIA  
TERRA PIZZARIA

THEATRUM ORBIS TERRARUM  
VITERBIENSIS

EXACTISSIMA TABLA PLANETARUM



B. C. D.

## PROOEMIVM.



ta res humanae sunt comparatae, leuibus de-  
ciduis foliis similes, parum constantes, spe-  
cie tamen sua fucum saepe faciunt et incau-  
tos frustrantur ac decipiunt, vanisque ima-  
ginibus deludunt. Sors incerta atque volubilis vagatur  
ac errat, variat mutatque vices, nil praeterquam incertum  
fluxumque elargitur et possidentibus interdum bona sua  
eripit, prorsusque omnia commoda aufert, partitos aequa-  
liter ordines quosuis perturbat, summum quandoque in  
imum vertit, atque quando felicitatis obuenit magnitudo  
ac cumulus de constantia mox est verendum; Plerumque  
florentissima Regna tunc cecidere, quando in summum fa-  
stigium euecta sunt. Quanto maior homo et altiori in  
loco positus, tanto difficilius illam in praecipiti stantem  
gloriosam fortunam custodire valet. Vniuersa natura sibi  
relicta vbique effati illius ne quid nimis perpetim obser-  
uantissima, tam in macrocosmo, quam microcosmo amat  
medium, modumque tenere, ac certos fines respicere, nul-

A 2

lumque

lumque facile extremorum siue in excessu siue in defectu  
admittit, quod etiam vbiique qui tenent atque obseruant  
sedulo, beati multis modis ac rationibus iure meritoque  
censentur. Quare perbene quondam Hippocrates, optimus rerum in tota Medicina gerendarum Magister, per-  
spiciens in summa bona corporis valetudine a rebus ma-  
xime prosperis ac iucundis metuendam aduersam esse,  
„Sect. II. Aph. 51. dixit, omne nimium naturae est inimi-  
„cum, cuius rationem addidit aliam Galenus in Comment.  
ad h. l. quoniam destruit symmetriam, (in qua tamen con-  
seruanda totius medicinae ratio ac cardo ponitur) atque  
moderationem dissoluitque animalis concinnam compa-  
gem. Apprime et eleganter in hanc rem nostrumque  
propositum grauissimus sapientum M. An. Seneca Epist.  
XXXVI. scribit: „Res est inquieta felicitas, ipsa se exagi-  
„tat, mouet cerebrum non vno genere, alias in aliud irri-  
„tat: hos in patientiam, alias in luxuriam, hos inflat, il-  
„los mollit, et totos resoluit. Nec aliud nec minori ele-  
gantia innuit Velleius Paterculus Hist. Lib. I. Cap. 17. se-  
quentibus, „Natura quod summo studio petitum est ad-  
„scendit in summum, difficilisque in perfecto mora est, na-  
„turaliter quod procedere non potest, recedit. Non ine-  
legans dictum illud Plinii Hist. Nat. hic quoque inuenit  
locum: „Perniciosissimum in omni quidem vita, quod ni-  
„mium, praecipue tamen corpori, minuique quod grauat  
„quolibet modo utilius. Omnibus in rebus graue mole-  
„stum est, quod immodicum est. Quid luce iueundius?  
„Quid radio solis acceptius, attamen vbi supra modum  
„sece oculis obtulerit grauis molestaque occurrit. Lubet  
enim in praesenti penes humanum corpus occurrens quod-  
dam nimium ceu naturae inimicum adeoque vbi euexia  
ad summum bonitatis apicem deuenerit perpetuandae, il-  
li,

li, minus conueniens percensere, simulque praecauere ne  
grauiori lapsu in paeceps periculum et interitum ruat ser-  
vanda studiose sanitas integra totusque homo, diu saluus  
ac sospes permaneat modumque exponere atque media  
atque remedia indicare quibus hoc fine potiri commode  
possimus. Quem conatum Deus T. O. M. in sui San-  
ctissimi Nominis Gloriam et proximi commodum beni-  
gnissime velit dirigere, est, quod humillime precamur.

## §. I.

**V**aria sunt Medicorum officia, variaque ideo illis sunt  
capienda consilia, variaeque intentiones ac scopi for-  
mandi, et in ipsum actum deducendi, qui artis salutaris  
ope feliciter remorari cupiunt ingruentia mortalium fata;  
siquidem non solum morbos iam factos variis remediis ad-  
hibitis current ac abigant, sed et prouideant ante ac prospic-  
tiant, ut praecaveant eos atque auertant, ac homines sa-  
nos sospitesque conseruent. Tum prouidi Medici, quos  
ratio dicit agentes omnia accurata mentis indagine ordi-  
nant, disponunt, prospiciunt, auertunt, moderantur, ut  
seruant seruanda, quae vtilia sunt, quae vero nocent adeo-  
que abigenda, tollunt atque interdum necesse habent, sa-  
lutis hominum causa, exuberantem ac ad apparentiam  
perfectissimum, felicissimum eorum statum alterare, quam  
alterationem instituendam non leuissimum vnum ex offi-  
ciis Medici sanitatis humanae curatoris Galenus dixit in  
Operibus Tit. VI. Lib. IV. Text. 15. Hippocrates iam i-  
dem indicauit, quando Lib. I. de flatibus Cap. VI. praefat-  
tus est: „ Medicina est additio eorum quae deficiunt,  
„ et ablacio eorum quae excedunt, qui istud optime facit, is  
„ optimus Medicus existimandus est, quique plurimum est  
„ ab eo praestando, is plurimum in arte medica deficere

„censetur. Imo cum multi morborum salutares, atque morborum quoque remedia sint, quandoque ipsos morbos, febres, variolas, scabiem, podagram, diarrhoeas, imo dysenterias etc; eundem in finem inducere, congruum esse, non pauci censem, modo de felici et exoptato successu conquerentes, quare inter desiderata practica hanc rem repouunt. Idem (Hippocrates) praecipit Lib. II. Epid. quando prudentis medici esse afferit, aliquando febres accendere, paralysin et conuulsiones etc. sanantes. II. Aph. 26. et IV. Aph. 57. Conf. et Galenus in Comment. Aphor: qui et alibi talem artificialem inducere praecipit cui A. C. Celsus adstipulatus, quando sic ratiocinatur: „Circumspecti „est hominis et nouare interdum et augere morbum et „febres accendere, quia curationem vbi id, quod est non „recipit, potest recipere id quod futurum est. Quos duces secuti in primis sunt I. D. Maior de Febre Artificiali Ioh. H. Slevogt in Prolus. Inaug. de Natura morbor. per morb. curatrice, Moebius in Disputat. de Natura et usu Clyster. Salubr. quoque Fr. Baco Baro de Verulam. Hist. Vitae et Mort. p. 522. Hoc quoque remediorum genus cum nostro praesenti argumento apte quadrat: Certe plenum corporis habitum cum viscerum mole febres, inflammations etc. admodum extenuare atque minuere assolent. Olim quidem Medici sedulo ac commode prospiciebant ne homines in morbos laberentur et diaeteticam hinc eundem maxime in finem tractabant; hodie vero communia ac quotidiana fere eorum officia in curatione morborum saltem consistunt prophylactice propemodum negligitur, de moderando exuberante corporum statu paucissimi cogitant, cum tamen omnino de eo cogitare cogitataque apto consentaneoque modo perficere deberent; satis autem intelligentes sciunt, multifaria mala saepe ex optimo ad apparentiam

rentiam hominum corporis statu pronasci, quare secundum salutifera veterum monita ad eum soluendum extenuandumque mature praesidia instruunt planeque adornant.

## §. II.

Equidem non nemini paradoxum importunumque aut aenigma fortassis nos proponere videatur, de nihilo notabiliter et raro conquerentes ac qua (faciem humorum laudabilem intus latentium sanguinisque copiosi et boni naturae robur praestantis copiam monstrantem,)qua totum corpus singulaque membra illaque componentes partes validas carnem, ossa, vasa, tam arteriosa quam venosa, ipsosque nervos optime constitutos habentes, imo armatos, robustos, qui bene appetunt, bene ingerunt, bene digerunt et bene egerunt, bene quoque nutriuntur atque augentur, qui animo contento atque tranquillo, ac hilari, iucundisque moribus (qui secundum Galenum temperamenta sequuntur) gaudere videntur, verbo sanitatem omnibus numeris absolutam sistentes, aegrescere aut lubrico, ancipi, ac fallaci adeoque verendo gradu atque fastigio esse collocatos sicque ex bonis tanquam causis malos effectus produci; sed extra dubitationis aleam positum esse omnino ducendum est: bonum hunc corporis habitum illum non perfecte quidem sanum atque valentem veluti ad Polycleti statuam efformatum, vix reperibilem, sed diuersa plenitudine superfluum atque pene praegrauatum mali morbidiique speciem induere: Latet certe anguis in herba atque de duobus intestinis potissimum nobiscum natis vitae nostrae hostibus, calore nativo, ut veteres loquuntur, et sanguine res agitur. hincque pro vero accipimus, in studio sanitatis hoc quidem intuitu etiam modum esse habendum. Monet hoc optime acutissimus Aur. Cor. Celsus Lib. II. Cap. II. hor-

tatur

„tatur ac suadet sequentibus verbis: Ante aduersam valetum  
„dinem quaedam notae oriuntur, quarum omnium communis  
„ne est, aliter se corpus habere atque consuevit, neque in  
„peius tantum sed etiam in melius. Ergo si plenior ali-  
„quis et coloratior factus est, sua bona magis suspecta ha-  
„bere debet, quae quia neque in eodem habitu subsistere,  
„neque ultra progreedi possunt, fere retro quasi ruina qua-  
„dam reuoluuntur. Quod haud dubie ab ipso Hippo-  
„crate hausit, qui Aphorismo III. Lib. I. hoc literis manda-  
„datum reliquit; „Habitus exercitatorum et bene habita  
„Athletarum valetudo seu euexia ad summum distensionis  
„vsque progressa, vbi ad bonitatis et plenitudinis extre-  
„mum peruererit periculosa et lubrica, quia natura atque  
„etiam optimum non potest in eodem statu permanere  
„neque otiosa quiescere et proficere: Quandoquidem  
„vero non quiescit neque iam potest in melius progreedi  
„reliquum est ut in deterius labatur, his igitur de causis  
„pleniorem illius corporis habitum haud cunctanter laxa-  
„re atque soluere expedit, quo corpus alterius nutricatio-  
„nis ceu conuenientis, moderatae adeoque melioris ini-  
„tium sumat. Nec aliter sentiunt ac scribunt Auicenna  
Fen. VII. Tract. IV. Cap. V. et Galenus Lib. III. de Dif-  
fer. Morbor. Cap. IX. et lib. de bono habit: Fernelius  
Lib. I. de Morb. Causis p. 139. quibus Tschirnhausenum  
accensemus in Med. Corp.: Nimicum secundum veterum  
sententiam nativus calor quasi suffocatur pulsu ac impulsu  
solidarum partium decrescente, quemadmodum flamma lu-  
cernae a multo oleo opprimitur et extinguitur, atque non  
secus ac aedificia interdum mole propria ruinam proxime  
minantur, quando in summum fastigium enecta molem  
suam splendentem atque superbam diutius sustinere non  
possunt atque amplissima Regna vastaque corpora non  
diu

diu pacata consistere possunt, nam quando ab externis iniuriis libera sunt bellum intestinum in ipsis concitant eoque maiori atque grauiori lapsu corruunt: Belle hinc Seneca dixit Cap. XIV. de vita beata: mole, quod laborat sua esse non potest bonum, et alibi, quicquid ad summum peruenit, ad exitum properat. Ignis quo clarior fulsit eo citius extinguitur, et iterum ita fato placuit nullius rei eodem semper loco stare fortunam, vel ut Quintilianus expressit:

In se magna ruunt laetis tunc numina rebus  
Crescendi posuere modum.

Similem in modum aequae egregie loquitur Plutarchus V. Compos. p. 682. „multi certe sibi bono habito esse corpore videntur seque ipsos melius quam exspectauissent ad uectos vident ac calamitatem suam pro bona valetudine ducunt ignorantes eiusmodi constitutionem apparentem esse dolosam. De cuius specie dici queat illud Sophoclis: Pulchritudo speciosa sed improba et vitis quasi purulenta. Hanc ipsam rem accurate quoque tetigit Liuius, dicens: „Praeualida quidem corpora ab externis causis tuta videari: suis tamen ipsi viribus onerari. Huc quoque trahendum, quod habet Q. Curtius R. Hist. Alex. M. Lib. X. Cap. I. „Res secundae valent commutare naturam et raro quisquam erga bona sua satis cautus est. Quid? quod Natura in singulis Regnis id monere superfluumque demere videatur. Sic v. gr. annuatim videmus: vites rorem superfluum stillare, vt ad alia non longius excurramus.

### §. III.

Etenim si magna succorum ex bono chylo copia etiam optimorum sique magis vel minus praeue dispositi illi sint, siue tenues simulac crassi, mitiores siue acriores vasa complentur, quibus, pressione illorum in minima vascula acfi-

B

bras

bras atque muscularum interstitial appensosque propaginis  
bus arteriarum extremis sacculos membranaceos in cuneatis,  
vrgentibus a tergo venientibus vndis, a praecedentibus  
tamen retropulsis quasi et retardatis, ambitus corporis  
paulatim intumescit praeter modum atque extenditur, vt  
nullum amplius augmentum admittat. Qui sanguinis ple-  
onasmus humanam Naturam, (quae ex solidorum constitu-  
tione et influentibus operationum animalium integritatem  
praestantibus aestimatur quaeque eam describunt) reddit op-  
pressam, (sive alterutro eorum sive ambobus deficientibus,  
aut conturbatis minusque recte constitutis,) dum fibras mo-  
trices cordis et vasorum sanguiferorum muscularumque vn-  
dique omnes admodum distendit, quibus distentis, aliae vici-  
nae partes etiam nerui etc. premuntur; siquidem ipsi quoque  
spiritus animales eo confluxi a maiori sanguinis eiusmodi re-  
sistentia, nimium dilatarri possunt, qua dilatione solida aequa  
comprimuntur, liquidaque alia expanduntur atque exagi-  
tantur. Sicque ille illorum elaterem, vigorem atque robur,  
tonum ac systolen sua resistentia, qua debitum aequilibri-  
um in rebus naturalibus ubique obseruandum, quod totam  
sanitatem et vitam conseruat, tollitur, debilitat, impe-  
dit atque deiicit, quo enim maior potentia virium est in  
impellente, et minor in resistente, eo celerior fit motus;  
ubi vero maior mobilis resistentia est, eo plus virium mo-  
venti detrahitur et tardior fit impulsus. Itaque sicut ma-  
ior molis quantitas maiorem gignit resistentiam, ita maior  
sanguinis quantitas actiuitati cordis atque arteriarum ela-  
teri plus quam minor resistit. Quae minus deinceps ido-  
nei sunt expedite prompteque liquores vitales per vniuer-  
fos corporis canales mouendi propellendique, horum ve-  
ro impedito iniijium forasque eiiciendarum partium se-  
cretio et excretio tardior redditur, quae retentae sub mo-

ra

rā magis magisque corrumpuntur. Hincque decrescente  
 sanguinis atque humorum impulsu, conueniens et apta te-  
 nuitas ac fluiditas quoque decrescit, quo crassiores spissio-  
 resque facti viscerum meatus, qui vbique patentes sint ne-  
 cessē est, obstruuntur comprimunturque, vnde clausis emun-  
 ditorum tubulis impurum in sanguine aequē detinetur.  
 Atque minore solidorum impulsu sanguis vt in tenuissi-  
 mas partes non discerpitur, ita et in excrementitias, serosas  
 nempe et salino-sulphureas minus ac par est per calorem re-  
 soluitur sed potius ingens sanguinis et humorum in vas-  
 culoſo ſystemate magis magisque accumulatio fit, quo ca-  
 cochymia preſſo inſequitur pede. Qua de re ſic Hippo-  
 ocrates loquitur Lib. de ſanitate tuen. ad Maecenatem:  
 „Sanguis cum abundat valetudinem vitiat, quia bilis acida  
 „et amara et pituita imo ſanies naſcitur. Per hanc ſucco-  
 rum abundantiam, lentorem ac corruptionem ſtimulo ſuo  
 stricturas noxias varias inferentes hancque fibrarum vaso-  
 ruinque omnium extensionem reſiſtentia grauatorum vi  
 contrahendi praerepta ac renitente ſanguine per plenum et  
 fartum humoribus imperiumque corpus aegrius adhuc  
 propulſo, adeoque naturae oneri certo tandem nocituro,  
 collato, tenerorum carotidum praefertim et vaforum pulmo-  
 naliū meatus obſtruuntur, ipſaque aggeſtione et tardiori  
 hinc promotione tenduntur, vellicantur, tandemque rum-  
 puntur, etiamsi circulatorius motus in aliis vasis non au-  
 geatur, vel poſito hoc inflammationes aliaque mala infur-  
 gunt. Sique hi praecipites caſus non contingant, tamen  
 obſeruatione conſtat, quod plethorici raro ſenium attin-  
 gant, ſed in conſistenti aetate adhuc conſtituti,) ſi debita  
 remedia non, praefertim venae ſectiones mature adhibe-  
 ant,) aut hydrope aut hectica praecipue pereunt. Quibus  
 conſideratis fit palam nimiam ſuccorum abundantiam prae-



omnibus aliis (si venena et animi pathemata exceperis) perni-  
ciem corpori minari. Quid? quod ipsorum spirituum quo-  
que animalium maxime actiuorum, qui motum sensumque  
atque actiones tantum non omnes sanas ac integras edunt  
praestantque (et maxime ideo necessarii, utiles ac laudabi-  
les sunt, adeo ut dubitandum esset, an illi augeri praeter  
naturam possent, quoniam eo aptiores nos ad actiones no-  
stras obeundas redderent) copiam minus compositam  
unionem non adeo intimam durationi corporum, obesse  
videatur; quoniam tunc fit illorum inaequalis, inordinatus et  
subfultorius et per consequens dissoluens atque destruens  
motus, atterunt ii et inter se ipsos atteruntur, quod manifeste  
v. gr. in gonorrhoea, a semine copioso atque spirituoso  
nimis, et conuulsionibus ubi insigni impetu influunt spiritus  
partesque admodum corrumpunt ac laedunt, videmus; inae-  
qualitas enim est dissolutionis mater: Hinc spirituum refre-  
nationem atque compositionem ne depraedorii, ut Autores  
exprimunt, euadant, facere ad longaeuitatem, ignis exemplo  
declarat, et edocet Illustris Baro Bacò de Verulam. in Hist.  
Vitae et Mortis p. 566. Hanc quoque rationem alii alle-  
gant quod hypochondriaci et melancholici, quia nimis  
spiritus animales in iis magis quasi sunt ligati, vitam suam  
molestem ac miseram, longe diuque protrahant. Amplius  
dicendum est, quod varia accidentia per externas pariter  
ac internas occasiones nocumentum et perniciem facilius  
possint addere v. g. a grauibus animi affectibus, tantum non  
propemodum omnibus praesertim et terrore atque adeo  
effuso gaudio atque repento cum risu longius durante  
corpora quae plurimum sanguinis alunt conturbare imo  
subito corruere solent, quoniam is accumulatur et vi quadam  
et impetu ad quaedam corporis loca propulsus, vasorum  
membranarumque rupturas, easque ut plurimum funestas,

aut

aut ad minimum stases profundas ex facili producit. Sic etiam acre mordaxque frigus pariter ac calor exagitans plethoricis inimicissimum est. Sed et alia adhuc referantur, de quibus vltior cogitatio subit : Hic plethoricus status morbis variis concipiendis non modo pronior est, sed et eos periculosiores atque grauiores, impetuosiores laboriosioresque, acutas praecipue febres, inflammationes, variolas et similes reddit, difficilioremque efficit curationem, sic impedimento inieicto euacuationeque salutari forte aliqua frustrata. Sique praepostere forte medicamenta adhibita fuerint, vt calidiora exagitantia, constringentia, figitia, opiate etc. noxam inductam augent. Accedit, quod homines morbis non adsueti firmi vigentesque quales hi ipsi sunt, citius e viuis turbato quasi mortalitatis ordine eripiantur, quandoque semel in sotticum maxime acutum quandam morbum (vt febres ardentes etc.) incident vel diu cum eodem conflictentur neque ita prompte restituuntur, cura aequiuoca, incerta, inconstante alienaque parumque notabili successu conspicua obtingente, ac ii qui morbis subinde sunt adsueti adeo vt saepe mirum videatur, quod homines, qui ab ineunte fere aetate sensibiores, imbecilles atque morbidi fuerunt et de vita sua diu protrahenda maxime dubitabant, tamen ad magnam senectutem perueniant prae illis, qui firmo corpore integraque semper valetudine gaudent ad spem diu viuendi se excitant atque adeo vehementissimos saepe morbos qui eos adgraduntur facile feliciterque superent citiusque conualescant, vt fortunatis alioquin aduersa omnium sensibilissima sunt vixque ferenda : Consuetudo enim vt alibi etiam aegrotandi attendenda venit, quoniam natura nondum eiusmodi exercitamenta habuit, talem extraordinarium effectum producendi ac quidem hae circumstantiae requirunt.



runt. Hoc inde inferendum etiam quod quando morbi  
epidemici et contagiosi ipsa pestis etc. regnant quibus hoc  
corporis habitu gaudentes valde obnoxii sunt (ex eo po-  
tissimum quoniam talis sanguis in corruptionem putredi-  
nemque pronus est et insensibilis transpiratio aliaeque vtiles  
et necessariae secretiones et excretiones laesae ac impeditae,)  
grauiores atque periculosiores noxam eorum succis con-  
cepta miasmata inferant. Id silentio denuo dimittendum non  
est, quod valetudine sua optima, nimis fulti atque confisi  
ita viuant, immemores humanae fortis, ac quasi nunquam  
morituri sint, quo virtus bona sua inaestimabilia non aesti-  
mant parumque caute agunt, variosque errores commit-  
tunt, quibus periculum incurruunt speque sua atque fidu-  
cia frustrata uno atque inexpectato casu saepe viam pae-  
cludentibus fatis. Alii e contrario nimis meticulosi atque  
solliciti, ad conseruandam felicem suam conditionem sin-  
gulis diebus singulisque interdum horis pharmaca con-  
fortantia, panaceas, elixiria vitae, cordalia, visceralia, ex  
auro etiam argento atque lapidibus pretiosis petita deuo-  
rant, praesertim si aegrotare sibi saltem imaginantur, quae  
vero euexiam adeo non stabiunt, ut quoque deiiciant.  
Idem dicendum de diaeta quam scrupulosius aut potius  
superstitiose obseruant, contra Celsi monitum Lib. I. C. I.  
„Sanus homo et qui bene valet et suae spontis est, nullis  
„obligare se legibus debet. Ex his iam aliisque insequen-  
tibus forte superaddendis perspicitur varia accidentia com-  
munibus quasi adiutoriis in corruptionem internacionem-  
que eiusmodi habitus conspirare. Adeoque cum vino esse  
comparandum, sanguinem propemodum existimandum est:  
quo id dulcius, mitius, oleo et spiritu plenius palatoque  
gratius atque acceptius, eo difficilius conseruandum, atque  
minus durabile corruptionique peiori atque maiori, acescen-  
tiae

tiae esse subiectum. Quare in transcurso quasi monendo, Wil-  
lisius non vana quidem prorsus ratione autumat in tuenda  
et recuperanda hominum sanitatem et Medici et Oenopolae  
parile propemodum esse officium: sanguinem reliquosque  
humores perinde ac vina inaequali temperie aequalique fer-  
mentationis motu seruare, sic nimia evasis aliquam partem  
deplere atque ferorem attemperantibus demulcere v. Tract.  
de Ferment.

## §. IV.

Iuxta vasorum ab exuperante sanguine et humoribus  
plenitudinem carnea enormis compages, quae in subiectis  
multum bonumque sanguinem, (tam quoad consistentiam  
quam motum) alentibus ac turgidulis pansisque facile  
concipitur atque luxuriat, et propter compactam nimis  
ac solidam muscularum substantiam multo insuper sangu-  
ine infaretam motui se exerendo impedimentum iniicit.  
Quippe fibris carneis corrugare se nitentibus vix ullum in  
laterales partes concedendi spatium datur, unde spiritus  
animales aegre influunt, atque functiones quas praestare  
debent, summa cum difficultate perficiunt omnes, inter  
quas motus et respiratio praे aliis se manifestant grauatae  
atque impeditae. Praecipue autem nimia pinguedo col-  
lecta in membrana adiposa, cellulosa ac non solum sub cute  
(adipoſo) hoc panniculo omnem corporis artuumque occu-  
pante ambitum sed et internis fibrosis carneis fasciculis  
vndique intertexta nōumento est. De visceribus pin-  
guedine nimia obſeffis variae proſtant Autorum obſerua-  
tiones. Kerckringius in Spicil. anat. p. 134. Cor ob im-  
modicam circa illud collectam in motu suo impeditum fuif-  
se, de pulmonibus idem Bartholinus in M. N. C. D. I. A.  
Obſerv. 101. teſtantur. Quae alias si moderato modo se  
habet ad ſpeciem integritatemque corporis facit, inania  
replendo interſtitia, mollitie ſua lubricando mouenda,  
atque



atque ad motum prompte reddendo, spicula acrum inuol-  
uendo, iniurias externas arcendo, promptuarium Naturae,  
(qualia plura et alibi in corpore humano sapientissimus  
rerum Conditor, Deus, constituit) in casu necessitatis pree-  
bendo; sed immoderata coaceruataque nimis molestiam  
detrimentumque affert, atque in morbos proclives homi-  
nes reddit, si nimirum iis omnia spatia plena sunt, at-  
que muscularum stamina nimium emolliuntur, vt difficile  
se constringere queant, omnia vasa sanguinem spiritusque  
animales vehentia ita sunt pressa atque exilia facta, vt  
nerui hos spiritus ad motum sensumque preestandum non  
satis libere adducant atque arteriae in fibras venarumque  
radices atque extremitates sanguinem difficile refundant.  
Ipse sanguis multis pinguedinis particulis, quae quidem  
connubium cum ferosis non ineunt, quin etiam respuunt,  
saturatus lentescens eiusdem circulationem facile atque  
repente intercipit. Bartholinus in Anat. refor. p. 25. testa-  
tur pinguedinis frustula in cordis vasis haesisse; Acce-  
dente vero ex cibis nouo succo nutritio eoque uberiore  
cordis ventriculi ita opplentur, vt in actione sua quae  
constrictio est, impediatur, humores figantur ac coagulen-  
tur, vnde polypis concipiendis repentinis lipothymiis  
ac animi deliquio, suffocationibus ac vasorum ruptioni-  
bus, (vbi minor illorum resistentia, maior vero sanguinis  
impetus occurrit) atque catarrhis, quos vocant suffocati-  
uos, apoplexiae repentinae etc. patulam aperiunt viam.  
Quemadmodum enim lampadis ardantis flamma nimia  
pinguis alimenti abundantia superfusa, obruta extingui-  
tur, et ab externa quasi violentia suffocatur, ita et se res  
cum corporis nimia pinguedine habet. Atque quoniam  
animales spiritus non ita facile muscularum fibras sic infla-  
re possunt, atque ob ingentem simul thoracis molem ac  
pon-

pondus, praegrandia viscera et intestina atque abdomen pinguedine grauatum tumidumque, costarum eleuatio non minus quam diaphragmatis motus impeditur, anhelosi ac suspiriosi, ad motum inepti torpentes veternosique redunduntur. Hinc Galenus refert quod athletae neque ad bellum neque ad agriculturam idonei fuerint. Praeter haec mala obesorum maximopere verenda alia quoque notanda veniunt. Sic notissimum est motionibus corporis atque laboribus, vociferatione, fortiori cantu, syncrasioque risu, sternutatione vehementi etc. parturientes item laborioso et forti nixu ex facili hernias sibi contrahere, hinc inter tubicines, cantores, baiulos plures herniosos repries. Talesque homines aut siderati aut suffocati, syncoptici aut effuso sanguine confoedati non raro data leui quandoque occasione ac causa, motu v. g. paulo fortiori corporis animique commotione, ira, terrore imo gaudio, aeris frigidioris, borealis validiori afflatu, egestionibus per aluum atque vrinam sufflaminatis, fortiori in reddenda aluo et in parturientibus foetu edendo, nisu, et similibus aliis subito pereunt ocyus quam quod se aegrotare sentiant. Eiusmodi exemplum inter alia de Attila Hunnorum Rege, pessimo illo Dei flagello, eadem athletica euexia ad sumnum distento prodidit Iornandes de rebus Geticis, eum inter nuptiale epulum subito animam cum sanguine eiectasse. Similiter Dolaeus Encycl. Med. Lib. I. Cap. X. aliud assert de ciue quodam ob nimiam obesitatem liberum sanguinis itum redditumque impedientem paralysii affecto, ac apoplexia extincto. De aliis ob hanc ipsam causam suffocatis quidem Schenckius Lib. II. Obseru. CCXIX. Hildanus. Cent. VI. Obs. 97. p. 630. Timaeus Cas. II. Schulzius in M. N. C. D. I. An. II. Obseru. 87. aliique testantur. Si quidam eorum ab eiusmo-



di præcipiti interitu liberi manent ac vitam aliquando diutius protrahunt, infelicem tamen eam ducunt atque senectutem vegetam raro attingunt, quare Galenus in Hort. ad bonas artes Cap. IV. id genus hominum miserrimum vocavit. Quin in valetudinariis frequenter obseruamus eos subinde nouis accessibus symptomatum ac molestiis tentari, quando sibi videntur quam optime habere viribus que valere atque extenuati corporis augmentum ab aliquo tempore perceperunt, quo rerum statu tritum illud Medicorum axioma allegare conuenit: Corpora impura quo magis nutriueris eo magis laeferis; nutritur enim potius materia impura, nec subigi rite, secerni et excerni, ob vascula nimis turgida, tonumque et languidum et insufficien-tem, potest. Philip. Hecquinet, Regius Chirurgus, in quibusdam subitanea morte concidentibus detexit fati præcipitis causam: in altero enim pinguedo nimia pulmones compresserat et polypo cordis ventriculi sinistro transitum sanguinis retardante: in altero labore fodiendi fatigato, vena caua prope cor disrupta sanguine inundauit viscera. Conf. Obseru. 101. Dec. I. Ao. M. N. C. Alii interiores quoque recessus præ aliis omentum pinguedine obfessos pressosque inuenerunt. Vid: Guil. Fabricius Hildanus Obs. Chirurg. Cent. 17. obseru. 97. Vnde obesitas multorum morborum Lerna et Ilias semper habita est. Ad rem Hippocrates scripsit II. Aph. 44. „qui natura admodum crassi sunt ci-“tiis intereunt quam graciles, et præpinguia corpora cele-“rius seneescunt. Huc forte respiciunt Indi, de augmento sui corporis veriti, qui, singulis annis quandoque singulis mensibus corpora sua bilance exacte librare assolent, atque decrementum aut incrementum illorum cum cura notant atque aestimant.

§. V.

Si pressa mala adhuc atque pericula, quae ex hoc corporis habitu plethorico atque obeso verenda sunt, exacta pensitatione vterius et specialius metimur, et effata ac observationes tam a veteribus quam neotericis Scriptoribus collectas conferamus multis indicis nos commonefaciunt, quod ea partim a putredine, suffocatione (ob multitudinem humorum) vel venarum ruptionem (ob seruorem forte inductam) partim a spasio (et inaequali hinc sanguinis et humorum circulatione,) partim ab atonia et sanguinis stagnatione profiscantur. Nimirum sanguini praeceps impendet putredo, tanto maior quanto floridior et optima crassi ille praeditus est, inflammationibus, suppurationibus, gangraena et sphacelo, quibus expositus est, testibus, ut et pus ex parte chylofa et oleosa gignitur, quaeque sanguinis excedens copia, ut plurimum cum cacoehymia est coniuncta. Haec dein nimium vasa infaciens ac premens atque sic spatium quod ad fluidorum motum iugiter institendum, mixturamque debite perficiendam requiritur, aufeferens, praesertim in temperamentis sanguineo-cholericis, et in agilioribus hominibus ac iuuenibus ob partium debilitatem sic redditam, nimias membrorum tensiones fortioresque inducit stricturas, quae magnas multasque in oeconomia animali inferunt turbas atque sanguinem et humores cum impetu quasi ad alias partes propellunt, quaeque deinceps per multiplices constrictiones p. n. fibris extensis atoniam in iis relinquunt: sique haec vitia spasmodus nempe et atonia rursus mutuam velut serram trahunt. Vbi hic in primis subsistens premensque sanguinis quantitas in eiusmodi partibus et vasibus, haeret atque visceribus, quae per se impulsu non satis forti instructa sunt, aut debilioribus staminibus conflata, et in quibus motus sanguinis difficultius institui-



tur, adeoque ad suscipiendas stases atque decubitus prona, qualia sunt pulmones, vena praesertim portae ut et hepar, lien, pancreas, omentum, mesenterium et uterus. Sic v. g. quando per venam maxime portae sanguis non rite circulatur pro varia ratione subiectorum et temperamentorum, aetatis, sexus etc. data occasione invariis corporis locis schemata variorum molimum, haemorrhagiarum, congestiorum, translatoriorum, restagnatoriorum, dolorificorum, inflammatoriorum, febrilium spasticorum insurgere ex facili possunt; Nam spasm, plethorica adeo familiari, ibi inducto, sanguis exinde ad partes superiores rapitur et stases ibi efficit in multa mala abundantes. Sicque in capite per cerebri pressiones et in primis corporis callosi striarum, liberum influxum spirituum animalium praepedientes collabantibus meatibus atque ductibus nervorum, haemorrhagias narium, cephalalgias gravissimas, vertigines, melancholias, insomnia turbulenta, phantasiae turbationes, memoriae et sensuum hebetudines, affectus soporos, apoplexiam, paralysin, epilepsiam, aphoniad, ophthalmias, lippitudines, odontalgias, morbos auriculares, parotidem, grauem aurium tinnitus, cum ipsa audiendi difficultate, erysipelata, tumores in pectore, constrictiones, anxietates, tusses, asthmata humida et conuulsiva dicta, pleuritides, peripneumonias, anginas, oppressiones pectoris, phthises, haemoptyses, suffocationes, tabes hecticas, vomicas, apostemata atque abscessus et exulcerationes, animi deliquia, palpitationes cordis, polypos, diaphragmatis constrictiones infert. Aliorūcum cum impietu sic delatus in abdomen et quidem in regione ventriculi, et in eius cauo flatulentias, cardialgias, colicas, aliui adstrictiones pariter ac diarrhoeas, viscerum praesertim hepatis, lienis, mesenterii distensiones quandoque ingentes

gentes (v. Stahl. Disp. de Hypoch. et Hyft. malo p. 20.) ac obſtructiones, indurationes, tumores, ſcirrhofientias, ulcera, icterum, in veficula fellea calculos, in vefica vrinaria, (quando nimirum fibrae eiusdem p̄ae plenitudine nimis diſtenduntur et in contractione impediuntur,) vrinæ ſuppreſſionem (quam hinc Riuarius V. Obs. I. Cent. I. venaſeſtione larga curauit,) item alibi hydrops, atrophias, cruentas per inferiora pariter et superiora ejectiones, nephritides, hypochondriacam affectionem et hystericam, arthritides, rheumatismos, inflammationes, febres varii generis, acutas, ardentes, putridas, gangraenam, ſphacelum internum et in foeminis fluorem album et huius generis plures aegritudines inducit. In vtero ſi ſubſiftit nec expurgatur copiosus ſanguis in ſpecie polypofas in vasis maioribus concretiones et exinde frequentes abortus et poſt eos non ſolum, ſed et ſat felicem alioquin partum, alia incommoda, quae puerperas aequa ac grauidas inuadunt, accersit. Iuxta haec alia quoque vitia referenda eaque aliorum deducenda, ut pollutiones nocturnae et gonorrhœae, quas benignas vocant, falacitas, et niſi desiderium hoc expleatur, furores ad peſſima facinora inſtigantes, ex alimoniae nimirum et feminis ſpirituofis abundantia, enormous ſanguinis profuſiones et exulcerationes, et in pedibus tumores oedematosi proueniunt, ne alia iam plura nominemus. Tacitique praetereamus alia leuiora incommoda, coryzas, narium fauiciumque mucosam ſorditem, ſenſum grauitatis et ſtuporis, in toto corpore moleſtum, plumbeum velut torporem, membrorum, crurum, inſolitam imbecillitatē et laſſitudinem etc. Inſuper tales homines ob molem corporis p̄eagrandem ad procreationem ſobolis minus apti ſunt, quod Plutarchus iam obſeruauit II. Qnaeſtion. Con. Quoniam in viris p̄aefertim materia illa, quae praeter modum in

corporis nutritionem impeditur, in feminis iacturam reddit; in foeminis vero pinguedinis partes exuperantes ouaria obfident et feminis masculini accessum difficilem reddunt. Quod iam Hippocrates indicauit, quando Sect. V. Aph. 46. scripsit: Foeminae valde pingues non concipiunt; ut et Avicenna et Aristoteles de eo loquuntur.

## §. VI.

Has quidem causas et rationes fat graues esse arbitramur, ob quas bonus corporis habitus, (partes musculosas cutemque complectens) sine mora soluatur atque extenuetur, quo corpus, ut Hippocrates loquitur, alterius nutritionis ceu conuenientis, moderatae ac melioris initium sumat. Eiusmodi enim sunt quibus hoc salutare monitum datum est, qui potissimum temperamento, ut dicunt, sanguineo calido et humido atque plethorico obeso plenoque specioso et splendente quasi habitu, gaudent aut molli et spongioso aut duro magis strictoque, itemque venis amplis, turgidisque aut exilibus atque depresso conspicuo, quibus tempora attolluntur, eaque quandoque dolent, oculorum praesertim venae tument, rubent, toris luxuriant. Pulsus est praecipue magnus et plenus, quasi vndosus ac creber, quando ex vberiori sanguine multi quoque animales spiritus elaborantur, quibus cor instructum atque armatum maiori vi sanguinem trudit, dumque amplior sanguinis moles in vasis continetur amplius etiam spatium occupans ea magis explicat atque expandit, sic et tum copiosius in ventriculos cordis influens sanguis, ita ut cor stimulo quodam ad actionem suam citius instigetur, tum vberius quoque in fibras eius deriuantur spiritus, ita ut cor motum suum exercere frequentius possit; Vndosus vero instar fluctus mouetur et virtutem grauatam significat,

\* \* \*

cat, quae non potest aequaliter omnes arteriae partes mouere atque expandere, is si paruus et tardus fit, vermiculans appellatur. Ast in valde obesis pauciori sanguine ac laxa flaccidaque corporis compage praeditis, praesertim sexus sequioris homines exilem languentem potius eum deprehendunt turgentibus. Spina dorsi pressionis sensu molesto afficitur. Vastam, quadratam, inconditam, rudemque plurimi eorum circumgerunt corporis molem, quare difficiles facere gressus coguntur; si vero accelerare eos gestiunt aut loca acclivia et scalas ascendere suffocationis quasi periculum timent, diutiusque in membris laetitudinem contusoriam velut perferunt. Nitentem habent cutim, caput atque faciem magnam, latam, plena lunae similem, cum labiis protuberantibus saepe fissis, quando praesertim aer paulo frigidior afflat, cum naribus expansis atque obesis intus coarctatis, ut difficilius per eas respirent, buccis item efflatis, mento deducto, guttureque turgente ac propendente bursae appensae ad instar, quos ideo nasones, labiones, bucones, capitones, atque bucephalos et quotquot alia monstrosum et deformium nomina sunt, forte dixeris. Collum porro elatum, ceruicem breuem duram crassamque, pectus amplissimum, et foeminæ ventrosas mammas, tergum opitum et protentum, ad natum usque amplissima et luxuriantia tubera, abdomen aqua aut vento quasi turgidum et prominens prae se ferunt: Verbo ineptam Bacchi effigiem monstrant, exindeque superbientium in modum inanem captant gloriam in sinu quasi gaudentes quod in dies maius augmentum vasti sui corporis capiant et quod vel centum libras plus quam alii pendant. Praeterea somnolenti, oscitabundi, pandiculationibus frequentibus manus pedesque exercent, phlogosibus exardescunt tum volaticis magirtum statariis, nau-

sea,



sea, vomitibus subinde tentantur, aliisque deiectionibus  
(cibi enim supra modum deuorati robustam naturam ad  
has purgationes sollicitant Hippocrate aduertente Libr. de  
purg.) rhonchos crepant perpetuos, ructus vel inuiti ni-  
dorosos, sonoraque murmura ventris frequenter emittunt.  
Ad commotiones massae sanguineae orgasticas proclives,  
sudore acri, vel ex leui corporis incalentia, exagitante  
et resoluente, colliquante atque attenuante, ultraque re-  
ducente siue per motum paulo fortiorem inductum, siue  
tempestatem aestuantem, calidam humidam siue per so-  
mnum in lecto molli atque plomo, pene diffluent; At-  
tamen aliqui praesertim foeminac minus perspirant, ob  
molliorem texturam, hincque imbecilles vires, pulsus-  
que languidos, cum tamen in iis aequa ac in viris ob-  
seruetur sudor, isque sat largus cuius causa ac ratio de-  
cidendi est apud Sanctorium multum in hoc argumento  
diligentemque obseruatorem atque censorem, qui Sect. I.  
XII. XIII. XXIII. CX. CX. Sect. V. III. perhibet, perspira-  
tionem atque sudorem ita parum inter se conuenire, et  
inter se fere commune habere, atque quo hic amplius  
prouocatur, eo magis illam minui, siue praecesserit su-  
dor paulo vberior, perspirationem ad aliquod temporis  
spatium languescere. Quid? quod Galenus Caus. pulf.  
III. IV. in iis quibus vita athletica contigerit, quales et  
rusticae mulieres sunt, laboribus se exercentes, sicque ad ro-  
bur masculinum accedunt, pulsum validiorem deprehen-  
derit, siquidem et in his parcus menstrua fluunt ut et can-  
taticibus, saltaticibus, Sennerto T. III. Foresto Lib.  
XXVIII. Obs. I. referentibus. Ob id non vti Alexander  
Magnus R. M. balsamum spirant, sed alarum foetor abo-  
minabilis pedorque eos confoedat, hircumque olen, at-  
que mephiti distinguuntur ut Thais. In ientaculo, pran-  
dio

dio, merenda atque coena in quas commessationes dies diuidunt, gulosi a patinis, in quibus semper animus, rapiunt, buccas assidue exercent Boeoticum in modum quo exercitio vsque ad sudoris eruptionem se fatigant, torpescunt atque obdormiscunt, (alioquin laboribus lubentius frigent, secundum illud exinde natum proverbum: Er ifst, dass er schwitzt, und arbeitet, dass er friert,) siccantque calices naribus quatuor. Ob hanc corporis molem duplo, triplo, quadruplo auctiorem aegerrime se mouere possunt, ideoque ad res gerendas inepti fiunt, vnaque cum corpore animus eiusque inclinationes sensus, omnisque propemodum vitae ratio hebefscunt ac torpent, atque plerumque contingit, vt excedenti corporis moli paruus animus insit, imo cum iis inclinata res est atque a recta via errant, moresque corrumpuntur; siquidem non pauci eorum hac athletica corporis constitutione noti, athletarum quendam perditum genii modum quoque aemulantur, quem Galenus paulo post referendum, indicauit. Quippe dum ventris obsequio viuunt cuticulamque curant atque robustum corpus sibi acquirunt, parum animo atque ingenio valent, nullamque ei medicinam adhibent; Hi enim horum hominum propemodum mores sunt, haecque desideria: Confortiis inutilibus et confabulationibus inanibus et infacetis, atque studio iocandi, quod risum captat, se immiscere, commessationes omnis generis delicias et cupedias effusasque libidines atque iners otium desidiamque quaerere, sibique optare placidam per membra quietem, languide in operibus perficiendis versari, in horas mutari, ingrataque rusticitate non abhorrens atque Fordidum propemodum aut secundum Veterum phrasin barbaricum vitae genus, ducere ne alia attingamus.

## §. VII.

Talis habitus athleticus vocatur, quem adumbrat Raym. Ioh. Fortis T. II. Cent. I. Consult. 44. Athletae enim, quos ab exercitatione Gymnasticos appellant magnitudinem virium et molem corporis quaerebant non ex pinguedine eam quidem inertis compositam, sed torosis potius musculis insidentem spectabant, non nutriebantur, sed verius saginabantur, ut in palaestra virium suarum magnam speciem praevererent. Per vehementia et frequentia gymnastica ac multam longamque cibationem et potationem atque coactam voracitatem in artis quasi formam redactam, (quam Milo Croton. ad summum perduxit, qui taurum sine fatigione, per stadii spatium, humeris portauit, totumque uno die comedit) simulque per inunctiones, aliptarum ministerio ac balneorum tepidorum et frigidorum subitam commutationem (ut sanguis et spiritus a balneo tepido ad cutim et artus euocati, a frigido vero inibi sisterentur et occlusis poris validior esset, fibrarum et muscularum virtus) habitum corporis nimium crassum, quadratum, carnosum, plethoricum cum venis amplis et repletis ad summum firmitudinis et honestatis gradum perducebant, adeo, ut maiorem plenitudinem is vix assequi posset, de quibus Oribasius sic loquitur h. l. f. 42. „Athletis exercitis crescit feroꝝ „et quicquid comedunt in ipso labore concidit consumi „turque vnde ipsi plurimum cibi appetunt. „ Inter cibos ficus, bubulam ac suillam carnem bene nutrientem, firmasque densas crassaque muscularares fibras ingerentem (quare prae aliis haec apud Graecos V. Hippocrates L. de victu in acut. pariter atque Latinos in pretio fuit,) frequentius ingessisse eos memorat Galenus L. III. ὑγίεια f. 246. Hinc, ut compertum fuit eos gymnastica sua obeuntes quandoque subito

Tubito oborta morte sunt extincti. Id testatur Galenus, simulque detestatur praeter alios veteres iam nominatos, dicens in Exhort. Med. „Athletarum vita et ars sagina est, „nec vivere posse diu, nec sanos esse animasque eorum in „nimio sanguine et adipe quasi luto inuolutas nil tenuerunt, nil „coeleste, sed semper de carnibus et ructu et ventris inglu- „uie cogitare.“ Ideo et eosdem deridet Philopoemones apud Plutarchum, ac ait Clemens Alexandrinus II. Paedag. I. eos mentem infodere et mancipia maxillarum et ventrum appellavit Euripides Coelio memorante Lib. VII. Cap. XI. ant. lect. Obuenit hic occasio curiose quaerendi, an illud quod de athletis Romanorum dicitur, id etiam dici possit de gigantibus et filiis Enackim, qui olim propter eximum robur et sanitatem qua gauisi sunt, aequae celebratissimi erant, ut de iis in Sacris Bibliis legimus.

## §. VIII.

Differt hic (athleticus) a bono corporis habitu simplius dicto atque comparate sumto eorum, qui plethorico, laxo, spongioso itemque subpingui corporis habitu, facie viua colorata atque florida et alba, pulchra, eleganti atque formosa hincque amabili (nostrates exprimunt: Er siehet aus, wie der volle Mond, wie Milch und Blut, blühet wie eine volle Rose) alaci, hilari atque iucundo animo, conspicui sunt, et temperamento sanguineo-phlegmatico sic dicto praediti, qui venas obtinent aut copiosas, ac angustas, aut copiosas et amplas, quales etiam homines plures in sexu sequiori reperiuntur. Rursus ab eo, qui insignem corporis et membrorum soliditatem harumque partium vim motricem atque elasticam, ac robur, (quod a musculorum duritate et magnitudine, fibris carneis, nervis ac tendinibus validis

D 2

compo-



compositorum, et a copioso bono sanguinis et liquidi nervorum influxu dependet,) monstrat atque exercitiis corporis et laboribus quibusuis aeris et tempestatum iniuriis, frigori calorique fami sitique et vigiliis ferendis adsuetus, quibus velut induratus magnam sibi soliditatem corporisque omniumque membrorum ac robur conciliat, vt in agricultoris, militibus, itineribusque frequentibus etc. deditis cernitur, vbi et omnia commode sunt proportionata. Attamen non semper ii plethorici censendi, quibus facies rubet et corporis habitus turget, sed macilenti quoque saepe numero vas a tamen numerosa ac ampla, sanguine multo distenta habent, atque nacti sunt qualitatem sanguinis circulo frequentiori alterandi et emendandi promptiorem occasionem, hoc nomine innotescunt; sicuti e contrario non pro plethoricis semper habendi, qui pleniori, firmiori, compactiorique membrorum compage atque isto athletico corporis habitu, sed magis naturali praediti sunt, vt rursum rusticci, aratores, hortulani, fodientes terram, vt plurimum baiuli et quoad diuersitatem climatis inferioris Saxoniae incolae, Helvetii, Sueci etc. Quare non ex vastitate et pinguedine ac corpulentia corporis, quam extensione a luxurianti sanguine potius et amplitudine venarum plethoram metiamur. Differt ille etiam ab immensa illa corpulentia, qua corpus mirum in modum tanquam sarcina vix perferenda oneratur impedimentaque omnibus actionibus iniicit, vt Galenus Lib. XIV. Meth. med. p. 15. Nicomachum Smyrnaeum ab Aesculapio curatum eo corpulentiae deuenisse scribit, vt neque posteriora tangere neque se mouere potuerit, operationesque omnes sensibiliter habuerit impeditas. De Dionysio, Tyranno Syracusano legitur eum ad tantam pinguedinem deuenisse, vt vix oculorum usura superfuerit.

Sic

Sic et Bartholinus Cent. III. Hist. 88. de puella vndeclim annorum refert, quae pondere corporis sui ducentas libras aequabat. Albertus Episcopus Wormatiensis adeo fuit ventro crassus, ut adspicientibus horrorem incuteret, tandem adipis mole suffocatus. Plura nimiae crassitiei et pinguedinis corporis exempla legere licet apud Bened. Syluaticum Cent. IV. Conf. LXX. fol. 563. Rod. a Castro de Morb. Mulier. p. 234. Tulpium Obseru. Lib. III. Cap. LV. Zwingerum Theatr. Vitae Hum. p. 278. et 263. Smetium in Miscel. p. 579. Panarolum Pent. IV. Obs. 32. Borellum Cent. II. Obs. II. Sennertum in Praxi P. I. Cap. IV. p. 21. Schenckium Lib. II. Obseru. 218. aliquosque. Caeterum Auctores distinctionem formant inter corpulentiam adiposam vel saginosam, carnosam et denique mixtam.

### §. IX.

Inducunt talem corporis habitum natura et aliquando hereditaria velut acquisitione (quae in recens natis etiam visa est. V. Misc. N. C. D. II. An. VI. Obs. 190.) ad eum quidem certo modo eoque non satis perspecto adhuc atque explorato dispositis haud difficulter atque ad hanc generationem superflui sanguinis iuxta atque pinguedinis ac carnis faciunt, contenta viuendi ratio et incurius tranquillus placidusque animus atque frequentibus gaudiis exhilaratus eiusque profunda securitas (si quidem animaduertimus ex certis affectionibus animi, ex causis externis ac moralibus, certos humores in corpore humano, augeri, alterari atque moueri, ut ira bilem, moerore pituitam etc.) motiones corporis moderatores et tempestiuæ, aetas adolescentiae et iuuentutis, aeris clementia qualis est in vere atque autumno et regione temperata, isque crassior, humidus, tepidus nullisque particulis salinis et acribus imbutus, taleque

D 3

regimen



regimen tam quoad hunc, quam reliqua, amictum, lectum,  
balnea etc. largus laetusque victus, Cerere Bacchoque af-  
fluens, siue cibi nutritiuo succo abundantes, molles carnes,  
lactaria, (quibus et per saepe infantes tenelli non tam lactan-  
tur quam verius mactantur) farinacea, pulposa ac succulen-  
ta, pinguia atque oleosa, potus alimentosi, crassi, fortis,  
spirituosi, vinorum, (hinc oenopolae pingues, succulent*i*  
*et ventricosi*) cereuisiarum aliorumque liquorum inebrian-  
tium, minusque diureticorum, vita sedentaria ac umbrati-  
lis, quies seu motuum necessariorum consuetorumque inter-  
missio ac segne otium, (quod dat vitia,) somnusque profundus  
ac vberior, quo solo animantia parcissimo etiam aut prorsus  
nullo, diu protracto, vt de vrsis Plinio, de gliribus Aristotele  
referentibus, de muribus Alpinis et melibus item, ha-  
betur; Praeclare hac de re Hippocrates scripsit Lib. I. de  
Diaeta §. I. „Homo edens sanus esse non potest, nisi etiam  
„laboret, contrarias enim inter se vires habent: Cibi et la-  
„bores enim ea, quae insunt consumere solent, cibi autem  
„et potus ea, quae euacuata sunt explet.„ Excretiones  
autem naturales recte procedentes in tantum corpulentiam  
iuuare videntur, in quantum eliminatis iisdem, quae retenta  
alias molestiam corpori non vnis modis crearent, nihil am-  
plius nutritionem remoratur. Talemque etiam corporis  
habitum sibi comparant, qui siue simplici, tenuiori et par-  
ciori alimento vni sunt, siue ex morbis longis et emaciante-  
bus, vt phtisi, hectica, febribus contumacioribus, intermit-  
tentibus, quartana, lymphaticis et similibus, lue venerea,  
scorbuto, gonorrhoea, haemorrhagiis atque aliis id genus,  
quibus sunt conflictati, eluctati, resurgentes et conualecen-  
tes, inediām perpeſsi, atque exinde extenuati, vbi alimen-  
tis necessariis abutuntur atque indigentes ad lautum et  
largum

\* \* \*

largum victum citius iusto redeunt, praeter modum se alunt ac saturant onerantque atque hac quoque ratione genio perlicenter indulgent, de quibus exemplum quoddam additur in Actis Philosoph. Anglic. ab Henrico Oldenburgio collectis p. 97. 48. de viro quodam Ao. CLII. aetatis suae subitanea morte extinto, qui pauper rure Londinum receptus opiparis cibis ac generosis vinis enutritus, functionibus sui corporis supra modum onustis, pulmonibusque suffarctis tandem suffocatione mortuus est. Aliud ex alia causa modo nominata subiungamus: Sennertus Prax. L. V. C. IV. dicit, se Nobilem nouisse, qui ex febre maligna ita obesus evaserit, ut vix loco se mouere potuerit, mole corporis quadrangularium librarum pondus excedente. Saepenumero quoque multos sic increscere videbis, qui ex parum congruo aere ad meliorem redeunt, qui que venere forte frustrata matrimonium contraxerunt alioque modo vitae genus mutauerunt. Inter foeminas vero non paucas offendes, quae aut infoecundae sunt, atque quae nunquam grauidae fuerunt, aut quibus menstruae purgationes suppressimuntur, aut per aetatem cessant, aut quae parere desierunt, praesertim si genio quoquis modo indulgeant. Posthaec hoc denique memoremus, quod habet Celeberr. Boerhaauius in Inst. Med. p. 161. illos fieri plethoricos et obesos, quibus artus fuerunt abscissi.

### §. X.

Quoniam vero haec onerosa repletio superflua inutilis. ac ideo mala dicta, quae nimirum ad sanitatem sartam teatamque conseruandam vitamque prorogandam magis noxia est, non statim manifeste laedit, sed per plures saepe annos, quamquam non sine incommodo perfertur, sed tum demum quando vires premit et tardius progreditur actionesque



nesque corporis remoratur atque peruerit, consentaneum erit huius rei explanationem praemittere simulque indicare, quando maxime haec proposita solutio sine mora sit instituenda: Sint igitur p[re]aliis sequentia indicia: Quando non modo molestiae, quae grauant notabiliter augentur, sed et alia maxime vrgentia ingruunt atque praecipue motus et robur partium solidarum languescit viresque sensibiliter deficiunt, lipothymiae incidunt, quando plus huic constitutioni indies accedit, atque totius corporis habitus turgescentia sanguinis, insolitus fero[r], vniuersi corporis praesertim brachiorum et pedum cum stupore, immo linguae et palpebrarum spontaneus insignis languor, lassitudo et grauitas, (vnde Hippocrates morbos praenunciat,) se produnt, quando tinnitus aurium, et dolores capitis vrgent, facies nimium colorata, rosea atque infusca turget, oculi tument, rubent, molesteque premuntur, et fulgores quasi fluctuantes, subitoque euanescentes, ante eos obseruantur, labia item magis crassa fiunt, ac rubedine saturata, cum ardoris quadam perceptione, ac scissuris inficiuntur. Talia signa quoque esse possunt vasa sanguifera distenta atque inflata anhelitusque difficilis ac laboriosus, qui maxime vel leui cursu, vel scalarum locorumque acclivium adscensu sensim difficilior redditur, quo simul valde tali corporis alioue motu et exercitio delassantur, in somnum frequens propensio, somnia, (quorum obseruatio, non contemnendam in medicina vtilitatem addit, tam praeseruationi, quam curationi inferuiens, ut pluribus exponit Ioepferius in Isag. ad Vitam long. p. III. ) turbulentia, terrifica atque anxia, frequens in lecto corporis volutatio, cum requie inquieta oculisque connuentibus, fames aucta, sitis frequens molesta, salvia spumescens atque crassescens, pulsus magnus quidem quodammodo

dammodo tamen depresso, pedum intumescens, animus praetermodum languescens atque desidiosum plane otium quaerens. Vbi speciatim dicendo praesertim suppressuntur aut neglectae fuerunt necessariae aut consuetae euacuationes per aluum praecipue, lotium, narium haemorrhagiam, haemorrhoides, menses etc. aut intermissae venae sectio-nes etc. atque exinde decubitus fiunt tum sanguinis tum fluidorum quorumcunque, a tota sanguinis massa seceden-tium, in principi quadam parte maxime in cerebro et preeordiis, quo rerum statu proxime venturae subitaneae mor-tis periculum est collendum, adeoque protinus congrua et apta auxilia ferantur. Suadent et hoc alia externa sub-inde occurrentia, vt, post constitutionem aeris humidam et calidam atque largos imbres, vasa prementes eorumque tonum relaxantes, aquilonares, saeuientes venti, repente irruentes, fibrasque omnes valide constringentes, vt alia non tam causas quam potius signa repentinae mortis futu-rae longius, non recenseamus, vt quando v.g. ex cauterio solita euacatio sponte cessat etc.

### §. XI.

Quoad prognosin hic pauca monenda restant, hoc vni-cum saltem adiiciamus, quod, quibus extrema plethora, optimoque hoc nomine notato corporis habitu, animus notan-ter deficit, eos periculosissimi maneant morbi, ocyus in-gruentes; Quoad modum euentus autem hic quidem etiam notandum: Ut multi morbi a Natura; non edocta ea quidem sapiente tamen visa omnia omnibus iuuante, vt Hippocrates Lib. de alimento loquitur, atque motus suos occultis quidem non raro, certis tamen legibus vt plurimum exsequente, sponte soluuntur; aeque ac praecaudentur atque

E frequen-

frequentius quam vulgo innoteſcit, per excretiones potif-  
timū, quae meliores atque utiles ut plurimum iis, quae  
ab arte fiunt, videntur, (quoniam iusto optimoque tempo-  
re et loco instituuntur, quae artifex saepius nescit, magis  
notabilem ac subitaneum praestant effectum, ut fonticuli  
et largi sudore in febribus intermittentibus, calorem illum  
praeter naturalem soluentes, febres item ipsae, haemorrhagiae,  
fluxus haemorrhoidalis et uterinus etc. documento  
sunt;) ita et quandoque hic exuperans corporis habitus;  
huius vero solutio quandoque summo cum leuamine con-  
tingit; per excernicula tam sanguis, (pauca illa quidem)  
quam feri (quarum plura dantur) vel frequentius nari-  
um larga haemorrhagia, vel rarius vomitu cruento vel  
haemorrhoidum, vel etiam in foeminis menstruorum  
fluxu spontaneo eoque solito uberiori, interdum et  
per insolitos sudores, diuresin, diarrhoeam imo dysen-  
teriam, itemque vomitus enormes humores varios, pitui-  
tosos, ferosos, nidorosos excernentes de quibus obseruatio  
in viro quodam Lipsiensi occurrit, qui per XVII. circiter  
dies vomitibus vix coercendis eufarcos quondam admo-  
dum extenuatus est. Rarissime id accedit per mictionem  
cruentam, quod Hist. Morbor. Vratislau. Tom. I. p. 283. seq.  
indicant, simulque Casp. Hoffmanni verba in Institut. Lib.  
III. Cap. 97. huc facientia allegant: „Mictum sanguinis acci-  
dere iis, quibus copia peccat sanguinis, iisque singulis men-  
sibus hac exire ut videantur foeminarum Naturam induisse.

## §. XII.

His itaque praelibatis de temperatione atque modera-  
tione, imminutioneque, deiectione, extenuatione, debilita-  
tione, eiusmodi corporis constitutionis atque tam sanguinis  
quam

quam obesitatis carnosaeque corpulentiae luxuriantis, et quae naturae hinc oneri et detimento sunt, cogitandum, hosque scopos hasque intentiones exsequantur: Quare si praefertim signa paulo antea indicata se produnt praeseruationis causa, ne in vitae periculum res cedat, atque ut alia pericula simul quoque auertantur atque tollantur haec indicationes formentur haecque indicata adornentur, ut alterationem atque medelam, hancque in contrarium mutationem consequamur, per eiusmodi [quae] euacuationes et dissolutiones maxime respiciunt. Ea media atque remedia, quae nimiam plenitudinem humorum, carnosamque nimiam compagem atque obesitatem simul auferunt ex tripli illo fonte aequa ac alibi hauriri solent: Diaeteticus hic fere primas tenet, ob varias rationes passim in sequentibus commemorandas, atque in eo potissimum illae inter sex res non naturales dictae et indifferentes quae cibum et potum, motum pariter et quietem iuxta atque excernenda complectuntur. Victus igitur valde tenuis simplex et parcior (qualem propemodum Hispani indicant, quando dicunt: malum aurantium, raphanum et dentiscalpium equestri ordine digna atque sufficientia fercula esse, ut fertur,) iniungendus (sed Tantali poenas nostris proponimus). Cuius ratio eo dirigatur ut tantum corpus conseruetur, imo eius sarcina dematur, non vero vterius saginetur, secundum illud Quintiliani: prauior omni fame sagina, crapula multi, fame nemo ordinario perit, secundum illud Poetae:

Corporis ignari, mortem inter prandia sumunt.

et Plauti salutare monitum: edere oportet ut viuas, non vivere ut edas, quo sane iam multum proficimus. Etenim hac in re etiam sicuti aliis, eo hodie peruentum est ut ne-

mo propemodum cum statu quem natura dicitat, ac suadet, contentus sit: plurimi voluntatem corruptam sequuntur, intellectum quoque dein corrupte in atque sibi peruerse imaginantur, ac si homines in naturali statu miseri essent, quo igitur artificiosis magis blanditiis irretiuntur eo feliores se aestimant sive a commodo ac ordinato in peruersum plane ruunt. Omni modo itaque euitent, ea, quae alias in delitiis et aestimio sunt, lautam scilicet et opiparam mensam variisque eduliis Apicum in modum comparatis adornatam, atque carnibus copiosioribus, (quae comediae, carnem quoque generant, ut germanicum fert proverbum,) iuniorum praesertim animalium, caprarum, vitulorum, porcellorum, cuniculorum, agnorum, pullorum gallinaceorum, columbarum, auium minorum ut alaudarum etc. et maiorum caponum, phasianorum, ostreis, pultibus ex ouis, oriza, amygdalis dulcibus, pineis, pistaceis, mire pinguefacientibus secundum Betrum de Ortu et natura sanguinis Cap. II. Sect. IV. hordeo, tritico, saccharo multo confectis, gelatinosis, butyro, melle dulcifluisque aliis variis, quae nutrire dicuntur, iusculis item consistentibus et restaurantibus dictis ex carnibus et medullis animalium etc. paratis, (qualia e capone veteri apud veteres celebratissima fuerunt,) lacte et lacticiniis, gelatinis variis aliisque eiusmodi multum oleo suo potissimum nutrientibus et ubriorem sanguinem generantibus plenam et cereuisiis quae Plinio iam male audiebant omnes crassis multum alilibus ut sunt Vratislauensis, Schepfum, Brunsvicensis, Gardelebiensis, Hamburgensis etc. aliisque eiusmodi liquorum vinosorum (a vi et violentia quasi ita dictorum) spirituosorum inebrantium atque potionum generibus instructam, quam cum viliori, qui famelicas

cis sufficit pane (quo tamen et Lanzonius in Miscel. N.C.  
 D. III. A. I. obs. 27. his interdicit; secundum Hippocratem,  
 quod omnis repletio mala, panis autem pessima) sale saltem  
 culinari consperso, oleribus, leguminibus obsoniisque te-  
 nubus brassica, lactuca, fructibus arborum exsiccatis, car-  
 nibus pecorum et piscium, sale fumoque exsiccatis, cucu-  
 meribus, cucurbitis, pisis, viciis, lentibus, ciceribusque,  
 fungis, myrtillis et eiusmodi aliis paucum alimentum, mul-  
 tas vero faeces concedentibus cibationem atque modicis  
 potulentis, itidem tenuibus aluum lubricam reddentibus  
 pro potu, aqua simplici (qua non salubriorem animantibus  
 dedit liquorem ut cum Plinio loquamur) cerevisia secunda-  
 ria eaque bene lupulata, vino pauxillo illoque cibario et  
 oligophoro alterata, aut sueco citri a Dolaeo maxime lau-  
 dato, berberum, phlegmate vitrioli, tinctura florum belli-  
 dis etc. confusa, fero lactis caprini etc. commutare fas est,  
 prandiumque non modo subtrahendum, sed et coena aut  
 minor solito assumenda aut plane omittenda. Ad hos po-  
 tus tenues infusa et decocta quoque herbarum et radicum  
 etc. ut theae, veronicae etc. referuntur simulque com-  
 mendantur. Certe abstinentia atque inedia famesque  
 valida aduersus vitia stomachi ex repletione praesidia  
 merito aestimantur, quaeque ut summas in secunda vale-  
 tudine, ita et in aduersa partes sibi vindicant. Conf. Dom.  
 Panarolus Pentecost. IV. Obsru. 18. Facit huc apprime  
 Hippocratis effatum laude dignum, quod Lib. IV. de mor-  
 bis §. 10. proponit: „Si homo parum edit et parum bibit in  
 nullum morbum incidit; ac Celsi Lib. I. Cap. III. „Siue  
 „plus est, quam quod concoqui possit periclitari, ne cor-  
 „rum patitur, non oportet: Siue iam corruptum est, nihil  
 „commodius est, quam id qua via primum expelli potest,  
 eiice-

„eicere, rursusque Lib. II. Cap. XVI. Neque illa res  
„magis adiuuat laborantem quam tempesta abstinentia,  
„quam etiam semper morborum initia desiderant. Non  
„indicatus abeat Galenus Comment. Sent. II. Aphor. 17.  
docens: „Nullo in eius locum, quod fuit vacuum acce-  
„dente alimento, fit, ut inedia vacuet. Valet hic quoque  
illud: Si vis sanus esse diutine viuere, aut pauper sis, aut  
pauper viuas. Atque ipsa natura morborum curatrix hanc  
abstinentiam indicat, ac proinde simul hac ipsa optime  
prospicit, quando appetitum imminuit aut saltem certa ci-  
bi et potus genera assumendi desiderium inducita ut fasti-  
dio prohibet, naufragium, atque adeo evacuationes, vomitum,  
diarrhoeam, sudores etc. excitat v. g. toto die apud nos au-  
dimus homines ubi simul ac, aegre aliqua saltem ex parte se  
habent, decoctum caffee, vinum, fumationes tabaci etc.  
quae tamen alias valde appetebant, atque in deliciis habe-  
bant, respuere et ex eo futuram quandam aegritudinem  
tanquam ex speculo certo prospectare atque praedicere.  
Praeter hanc victus rationem segne otium atque uberior  
quoque somnus de die, et post prandium praesertim, et in  
lecto molli (quin et durus magis confert, quem etiam faci-  
le perferunt, ex quo illud factum est iam tritum prouer-  
bium: Wer Fleisch am Leibe hat, liegt niemahls hart) et  
nimium calefaciente, ac oneroso protractus, evitetur sed  
multis vigiliis, assiduisque lucubrationibus et studiis, pro-  
fundisque meditationibus, occupationibus, coniunctis curis,  
(quas Ouidius artuum depopulatores dicit,) variisque mo-  
lestiis duroque quodammodo viuendi genere perferendis  
afuescant atque corpus laboribus et exercitiis vehementi-  
bus magno partium attritu agentibus, equitatione subful-  
tante atque succussante, pugillatu, luctatu, pilae lusu in-  
sphae-

sphaeristrio, cursu, ludo, quo globi ad conos iactantur ad incandescentiam ac sudoris elusque copiosi excretionibus usque protractis commoueatur. Annotauit hoc Sanctorius in suis obseruationibus scribens : Sect. V. IX. „Exercitio corpora leuiora fiunt, omnes quippe partes, praecipue musculi et ligamenta motu ab excrementis purgantur, perspirabile ad exhalationem praeparatur et spiritus tenuiores, fiunt: ita quicquid sit humoris superflui, id fortius foras, exprimitur atque firmetur. „ Per iugem enim moderatum tamen corporis motum celerius sanguis per vasa traicitur, unde calor suscitatur augeturque, qui succos gelatinosos, pingues etiam in intimis corporis recessibus, ut ossibus dissoluit, attenuat, dissipat, atque consumit, quemadmodum id v.gr. luculenter in febribus ardentibus experimur, eas celeriter et vehementer per auctiorem earum calorem succos et pinguedinem corporis consumere et obesos graciles extenuatosque reddere; nec aliis quam quae huc usque per seriem recensuimus Galenus usus est Lib. VI. §. 2. de sanitate tuenda, quibus quendam eiusmodi quadratum atque grauatum breui leuavit. Circa necessariam corporis motionem et cibationem Hippocrates, Lib. VI. de salubri dieta, monet, ut pingues, qui graciles fieri volunt, omnes labores ieuni faciant et cibos assunere anhelantes adhuc ex fatigione. Haec singula recensita ut Helmontius his paucis verbis complexus est : Claude os et aperi oculos: ita et nos in sumptuam contrahimus hoc memorato notissimo dictorio : Abstine et sustine; Ast veremur ne huc omnia in vanum dicantur: cum ad vitae laboriosiorem et temperatiorem rationem redire nostri vix unquam sustineant. Aer bene temperatus, omnium suarum qualitatum respectu, atque qui alioquin salubris vocatur, non aequa conduceat, secundum

dum Platonis placitum de quo ferunt, eum obesitatis nimiae pertaesum, Lyceum in insalubri loco extruxisse quo corpus magis castigaret suum, quo modo notamus Regionum calidiorum incolas quoad corporis habitum magis extenuatos pinguediniske expertes conspici atque frigidiorum. Conf. Broeckhuyse Oecon. anim. p. 447. siquidem et frigus haec corpora facile perferunt. Calor vero valide exagitans non solum sanguinem resoluit et eiicit, sed et ipsam pinguedinem, spissam illam massam ita attenuat, ut a venarum poris atque osculis reforberi sanguineaque massae reduci queat. Talis regio nostris secessui aptissima forte esset, qualis est illa ad extremos Indiae fines circa fontes Gangis, fluuii, sita, a Plinio depicta aut effecta, de cuius incolis ille refert, eos absque ullo cibo potuque, halitu tantum et odore e pomis floribusque captato sustentari, quo sane hanc corpulentiam nimiam sibi non contraherent, sed imminuerent. Circa excreta atque retenta paucis adhuc monendum, praeter ea quae in hoc genere dicuntur, excretiones cutaneas, haemorrhoides, et in foeminis menstruos sanguinis fluxus iuuandos et promouendos: commune esse iuuamentum patulam aluum habere et fluidam ad quam usum pilulas Ruffi multi Practicorum prae aliis commendant. Occasione animi pathematum, quae in hoc rerum ordine recensentur saltem innuimus, quod vel in vulgus notum est, curis, solicitudinibus, tristitia, moerore, animi angoribus atque anxiis desideriis diu protractis inter spem et metum diutina fluctuatione, inuidia (quae proverbio locum fecit, quo dicitur: Er sieht aus wie der Neid,) spe frustrata atque desperatione meliora, cupiditate inhiante, atque amore intenso flagrante (qui animi

animi arbitrio quidem sumitur, non deponitur, vt cum Seneca dicamus;) sensim corpus amitti: (vnde illam dictionem Mnemoneuticam audimus: qui pallet, aut aegrotat, aut studet, aut amat,) Modo monemus vt prae aliis et prudenter auertant, sibique caueant ab iis, quae improuisam validamque in cerebro excitant commotionem, gaudium et laetitiam subitam validamque incandescentiam, atque iram, terrorem ac timorem omnesque occasiones, quae ad ea ducere possent omni studio deuitent: nam per haec diameter vasorum peflime alteratur, motus sanguinis atque humorum nec non vndarum animalis fluidi spirituosi per neruos propulsi praesertim in praecordia perturbatur: vnde motus cordis et totius sanguinis subuertitur.

## §. XIII.

Auxilia chirurgica efficacissima quoque sunt, ea que aequa propemodum sat tuta, si circumspecte admistrentur, quare hic secundo loco collocanda veniunt, vt phlebotomia, eaque sat larga et aliquoties repetita, qualem plethorica subiecta facile ferre possunt. Certe mirum est quanta interdum sanguinis copia ex corporibus bene habitis per vulnera inficta sine noxa effluat, quale v. g. notabile exemplu Historici narrant de Illustrissimo Aurantiae Principe Guilielmo Nasouiae, cui ab homicida globulo ex sclopeto ejecto vena iugularis magna transiecta erat, qui licet per plures dies maximam sanguinis copiam effuderit saluis tamen viribus euasit. Largiores venaefectiones commendant veteres, qui ad animi vsque deliquium fre-

F quen-

quenter eas permittebant, et in synochis speciatim sex libras sanguinis emiserunt. Ast non eo vsque hae euacuationes aequae ac illae per pharmaca factae perdudcendae sunt, ne praecipites subito omnes vires agantur, difficile iterum restituendae. Hoc optime monet Hippocrates eodem Aphorismo supra addacto nempe Sect. I. Aph. III. Nam, non eo deueniendum vt vasa extreme concidant, periculosisimum enim est, sed qualis fuerit eius, qui sustinere debet, natura, eo vsque progrediendum. Quare existimamus, semper tutiori via solui plethoram per moderatas ac repetitas venaesectiones quam vna largissima. Valde obesi venaesectiones has tametsi p<sup>r</sup>ae pinguedine administrari possent, aegre ferunt, quoniam sine dubio laxior eiusmodi habitus fibras lentius respectu euacuationis contrahit, vel spiritus animales plures ad hunc tonum efficiendum, quam qui ad hanc contractionem sufficiunt, impenduntur, ex quo parcior ac inaequalis spirituum distributio et ad partes amandatio fit. Vnde his euacuationibus sanguinis, vasa per se exilia, magis coarctantibus, vt plurimum animo linquuntur. Hinc Hier. Mercurialis de Decorat. p. 29. eas pericolosas pronunciat. Addimus experientia id comprobante, obesos atque plethoricos nonnullos quanto frequentius venaesectiones adhibent tanto magis hanc plenitudinem in dies iis augeri. Vicariae cucurbitulae scarificatae sunt, quae et in his exilia vasa obtinentibus magis proficuae, vt et fonticuli, quos Waldschmidius in Not. ad Timaeum suadet, qui quidem sensim atque paulatim euacuant, quemadmodum videmus alios ab ulceribus praeternalibus emanari. Nec inutilis nec inepta haemorrhoidum in dispositis

positis prouocatio erit, dum supra indicaimus eas critice naturam moliri. Dionysius Tyr. lateribus hirudinibus applicatis superfluum tumorem sibi ademit. Aeliano Lib. VIII. var. Hist. referente. His iungendae frictiones, pannis asperis fortiores, frequentius matutinis vespertinisque horis inducendae, quae ab ipsis carnibus potenter ichores viscidiusclos emulgent. His enim depleto diminutoque alimento atque per eas sanguine, humorum transitus adhuc magis intenditur, superflui adhuc in vasis haerentes liquores foras excurrentur atque, si quid reliquum extremis vasis haeret impactum, hoc pacto dissoluitur atque in gyrum actum maiori denique parte transpirat.

#### §. XIV.

De Pharmaceutico fonte huc usque reseruato hac quidem censura apud Hippocratem legitur Aph. Lib. II. Sect. II. §. 73. „Qui bene habito sunt corpore, ad medicationes, propinatis medicamentis ut putamus, moleste se habent.“ Certe remedia non mala illa quidem, sed certa ac valida, ast non aequa tuta et ancipitia atque maiori circumspectione ac quidem priora in hoc etiam corporis statu exhibenda: Medici enim et hoc curae cordique habeant: „Vide ne obsis, etiamsi non pro sis,“ atque adeo si priores scopi (primus praesertim, secundum illud: Diaeta potior omni Hippocrate) rite admittuntur eosque exsequuntur fere hoc saepius supersedere possent. Nimirum v. gr. acida, quae hic commendanda veniunt chylificationem admodum laedere possunt, quorum etiam abusum cachexia, hydrops etc. immo mors haud raro insequuntur, vti videre est ex Miscel. N. C. D. II. A. IX. Obs. 219. aut saltem pericu-

losa symptomata excipiunt, prout B. C. I. Langius testatur Oper. P. II. Prax. Cap. XII. Sicque saluantia in valde obesis suffocationis periculum facile possunt afferre etc. Attamen causa non videtur esse hic omittendorum aut plane cum Asclepiade, Pythagoricis ac Indorum Sapientibus (qui ex medicamentis vunctiones faltem admittebant, v. Iamblichius in vita Pythag. Strabo Geograph. Lib. XV.) ac cum Paracelso atque Helmontio reiiciendorum certorum horum atque validorum praesidiorum. Quin, potius necessaria videntur iis qui strictam diaetam, temperantiam et frugalitatem, taceamus abstinentiam et inediam fastidiunt atque neglectui et despiciui habent, chirurgicasque operaciones tanquam cruento modo saeuentes, horrent. Inter euacuantia et vniuersalia praemittenda subiungendaque, Vomitoria ordinario agmen ducunt, quae et hic admodum necessaria sunt, quoniam per horum hominum, Sardanapali Regis Affyriorum vltimi in modum omni cupediarum, libidinis mollitieique genere effeminatissimi quotidiana, saepiusque repetitam ingluuem, eamque saepius non tribus aut quatuor horis absolutam, sed crepusculum vel diluculum vsque protractam illuuies eruditatum quoque ventriculum, (quem ideo voraginem Bacchique amphoram, non male quidem, dixeris,) grauans, accumulatur; eaque autem sint non tam leniora ex aqua tepida emollientibus et laxantibus vegetabilibus forte incoctis, oliuarum oleo, butyro aut pinguedine mixtis, vt et radice illa hodie familiari ipecacuanhae, sine addito stimulo, nauseam et multos faltem ructus molestissimos creante, parumque saepe euacuante adeoque frustratos conatus, quos Medicina

cina detestatur, relinquunt; sed ex tartaro potius emetico, mercurio vitae, syrupo emetico Angeli Salae, sulphure aurato antimonii et croco metallorum infusione adornata, praeferantur. Hoc euacuationis genus nimium repletis et qui parum concoxerunt, suadet Celsus Lib. I. Cap. III. hancque adiicit rationem: „Siue plus est, „quam quod concoqui possit, periclitari, ne corrumpatur, non oportet: Siue iam corruptum est, nihil „commodius est, quam id qua via, primum expelli potest, eiicere.” Circa haec hae cautelae obseruandae ne in principio medelae instituendae statim exhibeantur, sed dempta prius aliqua ex parte sanguinis pinguedinique plenitudine per alia modo indicata remedia non omissis aliis obseruandis, ne sanguinis ad superiora versus praesertim raptus invitetur, neue exinde labore pleni nifus, conquassationes, contorsionesque, constrictiones, imo animi deliquia, ruptiones, haemorrhagiae, haemoptysis, apoplexia, inflammationes, herniae aliaque mala inducantur, videlicet abdomen et caput linteaminibus tanquam vinculis iniectis paulo fortius constringendo, collare vero plane laxando, naribus subinde vinosa et spirituosa ut spiritum roris marini, quem aquam Reginæ Hungariae vulgo vocant, calidam crustam panis totam vino imbutam, cinnamomoque, caryophyllis aliisque aromatibus conspersam admouendo, linguae vel salis culinaris saltem quandam portionem ingerendo etc. Tuncque saepius reiteratis vicibus locum commodum inuenire possunt. Hoc salutare monitum magna ex parte, aequa de catharticis valet, quae licet non pari impetu ac violentia ac vomitoria agant, tamen et in plethoricis stimulo suo ac vellicatione, morsuque va-

lido affluxum nimium sanguinis ad partes principes inferiores, intestina cum ipso ventriculo aliasque, saepius, et ex hoc stases pariter, inflammationes, gangraenas et sphacelum concitare solent. Quare quando res agitur, an syncretica medicamenta, phlebotomias, an hae illa sequantur, si caetera sunt paria, si praesertuationis causa instituenda, et ne circumstantiae quae-dam vrgens quoddam symptomata hoc vel illud auxilium pre altero suadent imo praecipiunt, Medicorum plurimi censem viarum apertione, atque corporum meabilitatem saepe quam maxime ante purgationem necessariam esse, ad quam etiam venaelectionem pertinere perhibent, quoniam vasa nimis sanguine distenta hanc aliasque euacuationes impediunt, atque praeposterum esse affirmant, sanguinem mox per phlebotomiam edendum purgante prius depurare, experientia infuper conuicti adeo feliciter hoc consilium cessisse, ut vacuatus simul et expurgatus sine pharmaco homo sit. Audiamus hac de re Ludou. Duretum, Medicum inclytum, qui ita in Enarrat. in Hippocrat. Coac. Praenot. commentatus est: „Vbicunque purgationis et phlebotomiae, necessarius incidit usus a phlebotomia auspicandum.” Quoniam vero illud ICTorum axioma laudatissimum: Sum cuique tribuendum, etiam apud Medicos in multis, (praesertim atque speciatim dicendo de medicamentis, cuius morbo atq; laboranti parti, debit is non quoad quantitatem solummodo et qualitatem, operationem citiorem aut tardiorem exerentibus atq; materiam motumque spectantibus; sed et forma qua concinnari solent, apte adhibendis) quamplurimum valet; (sed hic iudicio opus est atque labore) ita et in his delectus quidam habendus:

scili-

scilicet, salia colliquantia, neutra et acidula vt cre-  
mor tartari, liquor terrae foliatae tartari, tartarus vi-  
triolatus, salia thermarum et acidularum aliorumque  
fontium medicatorum, stimulo maiori vt scammo-  
nio sulphurato acuata, decoctum tamarindorum, aqua-  
rum soteriarum, Sedlizensium et Seidschitzenium, quae  
salfae et amaricantes dicuntur, potus, nec non alia massa  
pilularum de ammoniaco Quercetani, cum mercurio  
dulci, auro fulminante etc. hic eresunt. Alii aloetica et  
rhabarbarina et helleborata aliaque huius generis prefe-  
rent. His accensentur enemata saepius repetita, quae ex  
speciebus emollientibus, repurgantibus et carminatiuis  
componere assolent, vt herbis maluae parietariae, absin-  
thii, ruta, scordii, floribus chamomillae, radicibus  
liquiritiae, altheae, liliorum alborum, fibris hellebore  
nigri, seninibus lini, foenugraeci, etc. incoctis addi-  
tis et solutis electuario lenitiuo et hierae cum agarico,  
nitro antimoniato, melle rutaceo, mercuriali pulpa  
colocynthidis aut croco metallorum in petia ligatis, sy-  
rupo emetico Angeli Salae, oleis lini, liliorum albo-  
rum etc. Haec olim Romanorum athletis, qui vt co-  
piosis alimentis se quotidie satiabant ita et familiarissima  
erant, quibus vomitionibus ex hyssopo in aqua contrita,  
aceto, sale melleque admixtis pennis ac loris vomito-  
riis, quae in ventriculum intrudebant, vel digitalibus  
aliisque commentis (quod turpiter ingesserant, tur-  
pius egerunt, vt de his apud Hieronymum aduersus  
Iouianum Col. 69. T. 2. legitur) et clysmatibus tantum  
non quotidianis vtebantur ante et post coenam, vt  
Celsus refert Lib. I. Cap III. Conf. Celeberr. Schultz  
in Diss. de Athlet. Veter. eorumque diaeta et habitu §.

61.



61. seq. Sic et apud Suetonium legimus in Vitell. Cap. XIII. item in Nerone Cap. XX. Neronem Vitellium et Caligulam Imperatores R. luxuria et commissationibus deditos, vt eisdem sufficiebat vomitandi consuetudine frequentissime nisos fuisse. Haec singula euacuationis genera iam Hippocrates praecepit Lib. I. Aphor. XXII. his verbis: Qui a satietate veniunt morbi vacuatione curantur. Sequuntur diuretica, quae iuxta haec blandam, gelatinosam, nutritiam viscidulamque humorum partem per vrinam euacuant, vt potissimum tartarea, vt tinctura tartari acris, et composita, tartarus tartarisatus, vitriolatus, terra foliata eiusque liquor, oleum per deliquium; Forestus L. III. Obseru. 10. tartarum crudum cinnamomo ac zingiberi utile admiscuit. Semen fraxini cum vino haustum a Ferdinando Obseru. Cent. I. p. 274. maxime celebratum, item terebinthinata, oxymel squilliticum nitrum antimoniatum, nitrum crudum, (quod Galenus Simpl. Med. L. IX. praet aliis salibus potentius reputat,) ut et silia quaedam herbarum fixa, ononidis, genistae, et quod Bapt. Codronchius valde extollit, absinthii, spiritusque quidam mineralium secundum B. Etmullerum vitrioli, nitri, salis, sulphuris, vt et ex Regno animali petita illa sale acri gaudentia, millepedes, cantharides etc. aliaque eiusmodi. Atque postea quoque sudorifera, sed non ea valida quidem et moderatione etiam debita exhibita, quae partibus nimirum non adeo actiuis et volatilibus sanguinem multo exagitantibus constant; sed media et fixiora, vt decocta lignorum ligni sancti praesertim et sassafras, V. Timaeus L. VI. C. 7. et radicum, seminum, herbarum, florum, antimonium dia-phoreticum simplex et martiale bezoardicum minerale lapides

lapides cancrorum aliaque terreo salina et acida, amari-  
cantia, alkalia, etc. Sale viperarum et theriaca obesita-  
tem feliciter se curasse gloriatur Galenus L. de san-  
tuenda VI. Cap. VIII. Simplici puluere viperino  
cum successu exoptato usus est Velschius Hecat. II.  
obs. 61. Spiritui Cornu Cerui super olibanum, myrrham  
et mastichen destillato singularos vires tribuit Dolaeus  
in Encycl. chir. Talia etiam externa in laconicis, balneis  
adhiberi solent. Si haec non proficiant saluantia ex mer-  
curio dulci excitata, quae maxime extenuant de quibus  
notabilem obseruationem apud Bartholinum v. i. Act.  
Haffn. Obs. 47. legere potes, iniungenda erunt.

## §. XV.

Ex alterantibus illis quidem praemissis euacuanti-  
bus tam chirurgicis quam pharmaceuticis huc quadrant  
mediocriter siccantia, salina, alkalifata, neutra, muria, a-  
qua marina quas Hippocrates de salub. diaeta tex. VI.  
praecipit, acida, martialia, ut limatura, crocus et cum  
aromatibus in puluere stomachali Birk. tincturae et re-  
soluentia, (nam gelatinosum per deliquium transit in  
ferosum,) qualia etiam sunt aromatica, acuta aliaque  
acria, ut et amara, quae attenuant nullumque nutri-  
mentum suppeditant, ut falsamenta, item myrrha na-  
sturtium, carduus benedictus, centaurium minus, ab-  
sinthium, cochlearia, petroselinum, apium, asparagus, se-  
mina erucae, sinapi, raphanus, cepae, allium et vario mo-  
do adhibita eiusmodi alia, quo pilulae de Sandaracha,  
Mynsichti, et spec. diacuc: dialaccae, quas Ioh. Lan-  
ius in Epist. Med. Lib. I. p. 360. multis nominibus  
commendat, similiaque spectant. Huc etiam iterum  
referuntur decocta, ut herbarum, lignorum, radicum,  
seminum praesertim, atriplicis, scordii, veronicae, fu-

G

mariae,

mariae, millefolii, acetosae, lign. Quaiac. Sassafras, Aloes,  
Juniperi; rad. Chinae, tormentillae, pimpinellae, semen  
nigellae etc. iulorum coryli etc. Plinius Lib. XIV. Cap.  
XXX. et fraxini folia vino contrita, adeo extollit, ut etiam  
maciem horum continuatum usum inferre afferat. Inter  
euporista ista vel simplex acetum frequenter haustum  
habetur. V. Cattierum Obseru. XIII. Ephem. N. C. D.  
III. A. I. Obseru. 27. acetum squilliticum Fonseca Con-  
sult. XXXII. praefert. Alii lubentius fumo foliorum  
tabaci, potum cereuisiae simul euitando aut masticando  
ea ex commendatione Borelli in Cent. II. Obseru. II.  
id efficere satagunt. Aliis potius ex commendatione  
Sennerti Prax. L. V. P. I. cap. XIV. arrident aquae  
fontium quorundam naturales, acidulae, falsae, alum-  
inosae, thermae, inter quas prae aliis et notioribus Ca-  
rolinae et Hirschbergenses pro interno pariter atque  
externo usu eoque tam alteratorio quam euacuatorio  
commendandae. Timaeus a Guldenklee in Caf. et Ob-  
seru. pract. Lib. VI. Caf. III. scribit, quendam, post-  
quam variis corpulentiam nimiam corrigere tentasset,  
tandem aquas fontis prope arcem Gulzovensem scatu-  
rientis cum exoptato successu haustisse. Pluribus vero  
gratissimum forte esset pharmacum quod Collectanea  
Vratislau. proponunt A. 1718. mens. hyem. p. 697. quod  
est vinum canariense singulis diebus ad 3vj. assumendum,  
nisi simul abstinentia esset iniuncta.

## §. XVI.

Haec praefata generatim tum sanguinis praecipue  
vbertatem tum intertextae pinguedinis atque polysarciae  
imminuentiam spectabant, sed etiam proferuntur alia, quae  
speciatim facile liquabilem pinguedinem luxuriantem, cu-  
ius

ius materia nutritia partes sanguinis oleosae magis, (ob ostiolorum sanguinem e' sacculis adiposis absorbentium forte amplitudinem secundum Santorinum collectae) deiiciunt ut salsa, alkalia, quorsum et aquam calcis referunt Practici, nitrosa, sulphureaque victus et pharmaca calefacentia pariter ac refrigerantia praeter iam indicatas aquas thermales et purgationes ex aloë, rhabarbaro, nitro, castoreoque adiecto. Ab exper. quodam Practico sequens puluis singulis diebus per duos menses drachmae semis quantitate sumendum commendatur. Rx. 15. 15j. myrrhae, rhuris, cort. lign. Indic. rad. Saffparill. a a 3j. Panarolus Pent. IV. Observ. XVIII. sitim optimum et infallibile remedium dicit. Cardanus de Subtil. Lib. de plantis memorat, Sanctum R. Hisp. crassitie monstrosum semine herbae quam linguae auis nominat ad tempus curatum fuisse. Externa quoque suadentur, praecipue balnea tam naturalia quam artificialia ex cineribus, alumine etc. parata eaque tam calida quam frigida, quae apud veteres creberrimo in usu erant, quaeque in eum hodie Angli praesertim reuocant. De caetero si curiose quaeras an pinguedo exuperans (de qua variae iam allatae obseruationes, praecipue ea a Fabric. Hild. memorata, Cent. VI. Obs. 97, vbi refert, se in foemina abdomen inciso adipem duas spithamas excedentem inuenisse) chirurgi ope, sectione excidi posse, vt apud Scriptores legas licet; quam vero quaestio nem aliam trahit, oriturque dubitatio post dubitationem: an nimis fidem mereatur semper assertum. rem multis difficultatibus prementibus atque an non temeraria esset operatio periculique plena atque cum morte ut plurimum coniuncta quod ex relationibus eiusmodi haud obscure colligitur. Quoad corpulentiam carnosam laxamque omnem difficultatem ac propemodum vanam esse curam plurimi cum P. Zachia VI. Q. M. L. Lib. III. T. I. Q. 6. et Roder. a Castro V. Lib. III. p. 230. existimant, quod stamina semel annexa dissolui peculiarisque nutrimenti et solidorum constitutio immutari



mutari aegre possint, aut quod natura semel ad eiusmodi excessum prona vix supereretur. Attamen quia huius causa iuxta peculiarem illam partium solidarum ad p. n. hoc incrementum, dispositionem atque iusto maiorem fibrarum dilatandi nutritiasque partes admittendi aptitudinem sanguinis lymphaeque laudabilis copia est, singula quae tam illam, quam pinguedinem exsiccant, refrehant, dissoluunt ac eiiciunt, cum qua communis fere euacuandi alterandique ratio intercedit, commendata, atque medicamenta ex nuce cupressa Myns. balnea ex adstringentibus parata aliquid praestare posse ipsorumque staminum carnosorum laxitatem reducere autumamus. Galeni, Mercurialis, Sennerti V. Prax. L. V. P. I. Cap. 4. Sylui Pr. L. I. cap. 38, Dolaei l. c. Timaei Lib. VI. Cas. 1. aliorumque ductum secuti. Quibus commendatis adhuc innuimus denique e re esse, ut roborantia atque subadstringentia eiusmodi tonica dicta, soluto sic hoc corporis statu ad ulteriore superfluorum, accretionem praecauendam, iuxta ea huc usque recensita bene obseruanda atque subinde exhibenda proponantur: Qualia sunt castoreata, succinata, balsamica, ut balsam. peruvianus, sal volatile oleosum Sylui ambrata, cydoniata, camphorata, mastichina, castoreata, succinata, tinturae quae-dam et essentiae, borraginis, buglossae, millefolii, melissae, cortex item peruvianus, quercus, terra sigillata, menta, bistorta, tormentilla, symphytum, flores balaustiorum, sanguis draconis, terra catechu, spongia itidem salicis cum vino rubro sumenda, crusta panis tosta cum aromatibus cinnamonomo, nuce moschata, vinoque rubro imbuta etc. Inter externa adhuc balnea et pediluuia comode locum inueniunt.




---

#### CORRIGENDA POTIORA.

pag. 6. lin. 11 lege tabem. pag. 10. lin. 28 l. Quo. lin. 40 post impedito adde motu. pag. 13. lin. 3. l. inimicissimus. pag. 15 lin. 6 l. nimiam. pag. 23. lin. 5. l. hominibus, lin. 6. l. tangentes etc.